HOMILIARIUM, U.A. GREGORIUS MAGNUS

Entstehungsort unbestimmt, 1424

Seite 45r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

per reges gencium et principes in-
deorum predicacionis eius tempora de-
signantur. Quia enim gentilitas
colligenda erat, et iudea pro culpa
parum perfidie dispergenda, ipsa quoque
descripcio terreni principatus osten-
dit, quia et Romana re publica
unus preesse describitur, et in
iudee regno per quartam partem
plurimi principabantur. Voce enim
nostri redemptoris dicitur: Omne enim
regnum in se divisum desolabitur.
Liquet ergo quod ad finem regni
iudea pervenerat, que tot regibus
divisa subiacebat. Apte quoque
non solum quibus regibus sed quibus
etiam sacerdotibus actum sit de-
monstratur. Et quia illum Jo-
hannes baptista predicaret, qui
simul rex et sacerdos existeret,
lucas ewangelista predicacionis
eius tempora per regnum et sacerdo-
cium designavit. Et venit in omnem
regionem Jordanis predicans
baptismum penitencie in remissionem
peccatorum. Cunctis legentibus liquet
quia Johannes baptismum penitencie
non solum predicavit verum etiam
quibusdam dedit. Et tamen bap-
tismum suum in remissionem pec-
catorum dare non potuit. Remis-
sio etenim peccatorum in solo nobis
Christi baptismo tribuitur. Notandum
itaque quod dicitur: predicans bap-
tismum penitencie in remissionem peccatorum,
quia baptismum quod peccata solveret,
quia dare non potuit, predicabat,
ut sicut incarnatum verbum patris
precurrebat verbo predicacionis, ita
baptismo penitencie quo peccata solvuntur
precurreret suo baptismate quo
peccata solvi non possunt, ut quia
eius sermo precurrebat presenciam
redemptoris, ipsum quoque eius
baptisma precedendo fieret um-
bra veritatis. Sequitur: sicut
scriptum est in libro sermonum
Ysaie prophete: Vox clamantis
in deserto: parate viam domini, rectas
facite semitas eius. Ipse idem
Johannes baptista requisitus
quis esset respondit: Ego vox
clamantis in deserto. Qui sic-
ut iam nos dictum est, ideo vox a prophe-
ta vocatus est, quia verbum pre-
ibat. Quid autem clamaret
aperitur, cum subditur: parate viam
domini, rectas facite semitas eius.
Omnis qui fidem rectam et
bona opera predicat, quid aliud
quam venienti domino ad corda
audiencium viam parat, ut hec
vis gracie penetret, lumen
veritatis illustret, ut rectas deo
semitas faciat, dum mundas
in animo cogitaciones per sermo-
nem bone predicacionis format.
Omnis vallis implebitur et omnis
mons et collis humiliabitur.
Et quid hoc loco vallium nomine
nisi humiles, quid montium et
collium nisi superbi homines de-
signantur. In adventu igitur
redemptoris valles imple te mon-
tes et colles humiliati sunt, quia
iuxta eius vocem: Omnis qui
se exaltat humiliabitur, et qui
se humiliat exaltabitur. Vallis